

8) Quae merita Scheybii in exornanda sua Tabulae editione; et paucula insuper de nostris conatibus. His accedet

9) Appendix de Geographo Ravennate.

Harum quaestionum partem Scheybius occupavit, vera sua laude nullo modo defraudandus. Cum tamen nos saepius ab illo dissentientes longe alia progrediamur via, lectorum rationibus magis consultum fore putamus, si illius dictis minus inhaerentes brevissimis verbis per expositionis seriem indicemus, quae nobis aequae ac illi arrideant, tum de quibus aliter, gravioribus ducti rationibus, statuamus.

S e c t i o I.

Auctor primus tum Orbis Picti tum Itinerarii, quod Antonini vocamus, aestimandus est Imp. Augustus Octavianus, seu potius M. Vipsanius Agrippa; quorum opus ab aevi recentioris imperatoribus subinde emendatum est.

Antiquissimis temporibus geographicarum chartarum usum fuisse gentibus, multis verbis, ab Aegyptiorum rege Sesostri initio facto, legentibus persuadere conatur Scheybius. Haec a nostro proposito aliena relinquimus, de eo dicturi Mapparum genere, cujus unicum ante oculos habemus exemplum.

Ex eo aevo quo Romani vias stratas in exercituum usum summa arte construere coeperant per Italiam, simul et usus Itinerariorum enascebatur. Maximi intererat enim, nexum locorum eorumque inter se distantias, diverticula, conjunctionem aliis cum viis ante oculos habere, ut sicubi quid corruptum annunciaretur, ei malo jussu senatus mederetur. Intererat exercitus ductoris, nosse loca sibi in itinere transeunda, ubi quiescendi, ubi pernoctandi statio. Singularum viarum ratio publicis monumentis iter facientibus erat proposita a), nexus cunctarum asservabatur Romae; inde origo Itinerariorum.

Quae parva initio in multo majus paullatim excrescebant volumen, quum Romanorum arma imperium simul et vias proferrent per Viam Ignatiam in remotas orientis regiones, quum ex altera

a) Cujus rei exemplum vides in via praetoris Popilii Rhegio ad Capuam ducta, ap. Gruter. Inscript. p. 150, n. 6 et 7, et in *Voyages Pittoresques de Naples*, Tom. III. p. 151.